FLORA.

№ 34.

Regensburg. Ausgegeben den 30. November. **1862.**

Inhalt. W. Nylander: De gonidiis Lichenum observationes quaedam. — Wilh. Ritter von Zwackh: Enumeratio Florae Heidelbergensis. (Fortsetzung.) — Gelehrte Anstalten und Vereine: Schlesische Gesellschaft für vaterl. Cultur. — Litteratur.

W. Nylander: De gonidiis Lichenum observationes quaedam.

Antea in hac ephemeride differentias indicavi, quae inter gonidia Lichenum et granula gonima observantur. Sic ex. gr. in Flora 1861, p. 531, legitur: gonidia esse „libere disposita et cellula parietali distincta praedita", contra granula gonima esse „cellula parietali nulla distincta praedita et inclusa vel instrata in substantia gelatinoso-cellulari thalli vel in glomerulis ejusdem substantiae peculiaribus, nec libera, et coloris alius." Quibus verbis in genere character proprius elementi anatomici utriusque definitur. Addi possit inter alias differentias nisus granulorum gonimorum dispositioni moniliformi vel scytonemeo atque evolutionis modus alius.

Attentius Lichenes quosdam examinans apud eos gonidia inveni, ubi solum granula gonima adesse olim credidi. Ita apud *Nephromium expallidum* Nyl. Syn. I, p. 318, Lich. Scandin. p. 86, occurrunt gonidia sat parva, quae ob contentum cellularum virescentem membranam parietalem saepius haud facile distinctam ostendunt, sed libera sunt in strato suo et characterem habent a granulis gonimis recedentem; est igitur revera hicce lichen *Nephroma*, itaque *Nephroma expallidum* dicendus. Similiter eadem nota gonidialis apud *Peltigeram aphthosam* Hffm. occur-

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr05977-0565-4

rit, cur rectius haecce species ad genus separandum referatur *Peltideam* Ach. (emend. definitione), quod genus omnino distingueretur a *Peltigera* (sensu meo) sicut *Nephromium* a *Nephromate*. Quoque in thallo *Solorinarum* adest idem gonidiorum typus parum evolutus ac in *Peltidea* et *Nephromate*.

Haud raro notas differentes eximias offerunt gonidia diversa vel granulorum gonimorum variae formae, atque sine dubio anatomia lichenum hocce praecipue respectu characteres maximi momenti et facillimas adhucque praetervisas exhibebit etiam in speciebus infimi ordinis, ubi jam (ex. gr. apud *Pyrenopses* et *Verrucarias*) eo capite differentias summas saepe indicavi. Notetur adhuc, gonidia systema anatomicum summi ponderis sistere in histologia apparatus vegetativi (ut dicunt anatomistae), locum quidem Lichenibus assignantia medium inter Algas (ubi elementa gonidialia vel chlorophyllina praedominantia conspiciuntur) et Fungos (ubi idem elementum omnino deficit); Lichenibus elementum idem vulgo modo parcum inest vel evanescens et sistit quasi „ultimo moriens" naturae lichenosae. Sunt igitur Algae superiores Lichenibus, hi vero superiores Fungis [1]); Lichenes accedunt scilicet momento eo versus vegetabilia superiora, quum contra Fungi maxime recedunt.

Enumeratio Lichenum Florae Heidelbergensis. Ein Beitrag zur Flora der Pfalz von Wilhelm Ritter von Zwackh, k. b. Oberlieutenant à la suite.

(Fortsetzung.)

58. Enterographa Fèe Mass.

253. *E. Hutchinsiae* (Leight.) Mass. Cat. Graph. 679. Leight. exs. 130. Zw. 302. A.! Arn. in Flora 1861. p. 663.

---

[1]) Quoad theoriam, quae vellet Algas infimi esse ordinis in serie vegetabilium utpote primas creatas statu, quo tellus ab aquis inundata fuerit, quousque talis inundatio ubique simul superficiem telluris obtexerit ignotum est, sed constat, Algas praesertim ad littora crescere vel supra aquas, nec in fundo maris profunditate ultra 200 pedes ullas provenire Ubi igitur Algae adfuere, credere fas est etiam terras ex aquis emersas obvenisse, itaque forte aliis quoque vegetabilibus locum idoneum tum haud defuisse. Ceteroquin mox, ubi vita organica exstiterit, etiam (in fermentationis jam cujusvis vel putrescentiae phaenomenis) organismi fungosi prodire potuerant. Sed cur theorias vel cur basin scientiae in regionibus quaerere ita nimis remotis nubilosisque.

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr05977-0566-0

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: Flora oder Allgemeine Botanische Zeitung

Jahr/Year: 1862

Band/Volume: 45

Autor(en)/Author(s): Nylander William

Artikel/Article: De gonidiis Lichenum observationes quaedam 528-530